

BERLING  
TULLBERG, ERIC NICLAS  
DELLDÉN, OLOF

**Dissertatio academica de bono præceptore  
publico, cujus caput alterum ... præses mag.  
Eric Nic. Tullberg ... et respondens Olof  
Delldén ... norlandus ad publicum examen  
modeste deferent. die [ ] junii**

Lundæ, typis Berlingianis.  
1788

# EOD – Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 10 europeiska länder!



## Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400- till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

## EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
- Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
- Skriv ut enstaka sidor eller hela boken.
- *Sök:* Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
- *Klipp & klistra:* Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).

## Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkoren på svenska: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/sv/agb.html>

## Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 30 bibliotek från 12 europeiska länder denna service.

Mer information finns tillgängliga via <http://books2ebooks.eu> alla boken.

- <http://search.books2ebooks.eu/>

*Dissertatio Academica*  
DE  
**BONO PRÆCEPTORE  
PUBLICO,**



Cujus  
Caput Alterum,  
Et quidem Ultimum,  
*Sub auspiciis Divinis,*  
Suffragante Ampliff. Ord. Philos.  
in Alma Gothorum Carolina,

PRÆSES  
Mag. **ERIC NIC. TULLBERG**  
V. D. M. & Colleg. Schol. Coron.

Et  
*Respondens*  
**OLOF DELLDEN**  
V. D. M. Norlandus  
*Ad publicum Examen*  
modeste deferent.

die *IV* Junii MDCCLXXXVIII.





LUNDÆ,  
Typis BERLINGIANIS.

Under  
Allman  
(Per)  
100° - 1829

---

B. c. D.


*Inchoatam a me ante sex, & quod excurrit, annos, cum pro Laurea Philosophica obtinenda ex Cathedra Academica disputarem, Nobilis Materie de Bono Præceptore Publico tractationem, specimen aliquod eruditionis qualiscunque ipse Præses nunc editurus, promissi memor Priore Dissertatione dati, ad finem perducere satius duxi, quam, neglecta illa, aliam meæ conditioni minus accommodatam elaborandam mihi seligere. Adumbratis igitur Capite Primo iis corporis animique dotibus, quæ B. P. P. apprime sunt necessariae; ultimum, quod Huic convenit, requisitum, quodque Priore Dissertatione intactum prorsus reliqueram, ut, nimirum in iis studiis ac disciplinis, quibus informari optime ad humanitatem puerilis ætas possit, probe sit versatus, Capiti hujus opellæ posteriori & ultimo sit reservatum. Huic autem negotio, dum me, qua par est, modestia accingo, juveniles conatus, operamque perfunctoriam mitiori B. L. censuræ reverenter & perofficiose commendo.*



## §. I.

Ut eo clarior & distinctior fiat, quam plenius exprimere conabor, B. P. P. imago, nihil omnino intermittendum videtur, quod ad eam illustrandam pertinere censeatur. Primo igitur, quid sit humanitas? prout a Veteribus in doctrina περί παιδείας explicari solet, probe dispiciendum. Ita vero de hujus sensu vocis differentem argentæ ætatis Scriptorem bonæ notæ A. Gellium. XIII. 16. hoc loco introducere lubet: *Qui verba Latina fecerunt, quique his probe usi sunt, humanitatem non id esse voluerunt, quod vulgus existimat, quodque a Græcis Φιλανθρωπία dicitur, & significat dexteritatem quandam benevolentiamque erga omnes homines promiscuam; sed humanitatem appellaverunt id propemodum, quod Græci παιδείαν vocant, nos eruditionem institutionemque in bonas artes dicimus, quas qui sinceriter cupiunt appetuntque, hi sunt vel maxime humanissimi. Hujus enim scientiæ cura & disciplina ex universis animantibus uni homini data est, idcircoque humanitas appellata est.*

Humanitatis autem studia cum egregie in primis Romanorum culturæ debemus, a scopo nostro alienum certe non fuerit, quamam litterarum genera in Scholis eorum tractari consueverint, quasque itidem disciplinas humaniorum nomine Litterarum insigniverint, porro observare. Audiamus ergo Ciceronem pro Archia Poëta his verbis utentem:



tem: *patiamini*, inquit, *Judices*, me de studiis humanitatis ac Litterarum paulo loqui liberius: & paucis interjectis, ut primum ex pueris excessit Archias, atque ab iis artibus, quibus etas puerilis ad humanitatem informari solet, se ad scribendi studium contulit. Ex his verbis, quibus studia humanitatis & Litterarum cum etate puerili ejusque informatione conjunxit, facilis est conjectura, Grammaticam, Rhetoricam, Poësin & Historiam, quæ pueris informandis præcipue adhibentur, a Tullio nostro indicari. Philosophiam tamen ex humanitatis circulo neque exclusam fuisse Ipse testatur: Epist. ad Diversos IV 4. *Etsi a prima etate me omnis ars & doctrina liberalis & maxime Philosophia delectavit.* Aliâ præterea Ciceronis loca si consulantur, certe dubio carebit, per studia humanitatis illum præcipue id genus Litterarum intellexisse, quod hodieque appellamus Philologiam. Sic Epist. ad Diversos IX. 6 ad Varronem: *Quum enim te semper magnum hominem duxi, tum quod his tempestatibus es prope solus in portu, fructusque doctrinæ percipis eos, qui maximi sunt, ut ea consideres, eaque tractes, quorum & usus & delectatio est omnibus istorum & actis & voluptatibus anteponenda.* De Varrone autem constat, quod in cultu Philologiæ omne studium omnemque operam posuerit, cujus quoque ingenii dotes ipse Cicero Lib. I. Quæst. Acad. summis effert laudibus.

Philologia in rebus ad linguarum noticiam pertinentibus versatur. Quem vero fugit, Romanos, pere-

peregrinas inter Linguas Græcæ imprimis deditos  
 fuisse, culturamque sermonis Græci & Romani con-  
 junxisse. *Atticum* sic Græce locutum esse, ut Athe-  
 nis natus visus fuerit, *Nepos* in vita Ejus Cap. IV.  
 memoriæ prodit. *Cicero* ad Præturam usque Græ-  
 ce declamavit. *Sveton.* de Claris Rhet. I. *Cato* in-  
 gravescente ætate litteris Græcis operam dedit: *Val.*  
*Maxim.* VIII. 7. *Augustus* in Græcis studiis præ-  
 stitit largiter. *Sveton.* in vita Ejus Cap. LXXXIX.  
 ut alia testimonia silentio præteream.

Neque Historiarum notitiam Docti Romano-  
 rum neglexerunt, sed multum temporis illi tribu-  
 entes, suavissimo humanitatis nomine illam exor-  
 narunt, quod ex Oratione *Ciceronis* pro *Archia* sa-  
 tis superque constare arbitror. Et quamquam fa-  
 teri nos oportet, plurima in promptu esse testimo-  
 nia, unde intellectu difficile sit, quænam studiorum  
 genera nomine humaniorum venirent; tamen non  
 inficiandum erit, disciplinas Philologiæ & Historia-  
 rum hoc cognomine ut plurimum insigniri: iis-  
 que ætatem puerilem imbutam semper fuisse.

## §. II.

Finis veræ eruditionis sine dubio habeatur *ve-*  
*ritas* respectu intellectus, *Amor virtutis* respectu  
 voluntatis, *Sanitas* respectu corporis. Informatu-  
 ro igitur Juventutem hos fines ob oculos semper  
 versari necesse est. Ad ultimum quod attinet, in  
 quo considerando breviori mihi esse licebit, mirum  
 sane semper visum fuit, in Scholis nostris prorsus  
 ignorari



ignorari omnes ejusmodi exercitationes, quibus corporis sanitas in pueris maxime corroborari atque conservari solet. Commendant quidem *Reg. Constit. Scholast.* Varsamhet, at spåda Scholæ pilltar genom Kyrkogången icke taga skada til sin hälsa genom strång köld och omåder; sed corpus humanum variis modis læditur jacturamque facit sanitatis ægre reparandam. Eos, qui, quibus potissimum modis hoc fieri possit, scire avent, ad Orationem a *D. Schulz* habitam ablegamus, cujus inter alia de prudenti Juventutis Informatione optime monita neque hæc mihi contemnenda videntur: Rådshoga, tvång och stilla sittande förtaga Varnens hälsa och förnögheter, den värt och de krafter som nu förtorkas eller qväfjas, kunna ej i de senare åren återfås: Deras förswagade känslö-strängar göra dem fallne för convulsiva sjukdomar. Deras saftfulla kropp, som hålles ganska varm och ej nog röres, underkastas utslag, bölder, utset och maskar. — — — En enda ådragen sjukdom i dessa år kan ock lämna det intryck, och den svagheter efter sig, som kroppen måste i hela den öfriga tiden widkännas. Sed, ne falcem in Medicorum messem immisississe videar, litem hanc, utpote altioris indaginis, disceptandam mihi non sumo. Hoc autem jure meritoque heic loci commemorandum censeo, Viros de Informatione Juvenili optime meritos, *Conditorem* puta Philantropii Dessaviensis, & *D: num Resewitz* Abbatem Monasterii Bergen & SuperInt. varias præscripsisse exercitationes, a pueris in Scholis Litterarum studiis imbuendis observandas. Idem fieri

fieri in Gymnasiis Bützovii & Vallis Joachimicæ sub inspectione præceptorum, non ut auditum modo, sed cognitum sibi penitus perspectumque mihi narravit Celeb. Conf. Eccl. Secretarius Otto Ch. Wählin. Quæ exempla non minus utilia, quam facili negotio imitanda eum in finem exhibere volui, ut ansam præberem Superioribus, quorum curæ & auctoritati res apud nos Scholastica commissa sit, disquirendi, ane hanc emendationem nostra etiam commode admittat Scholares instituendi consuetudo. Wen also die Erziehung vollkommen seyn soll, so müssen diese üebungen als wichtige Stücke der selben nicht versäumt werden, und wen ich eine öffentliche Schule nach meinen gefallen einzurichten hätte, so mußte bey jeder Classe ein eigener platz seyn, der zu den üebungen des leibs bestimt wäre, inquit Celeb. Sulzer, vel quisnam fuerit auctor notissimi scripti: Versuch von der Erziehung und unterweisung der Kinder. Cap. 8. pag. 222. Nec ab hujus rei tractatione aliena, sed lectu sane dignissima est Sermocinatio Solonis atque Anacharsidis apud Lucianum. Finis informationis a Solone intentus principalis hic fuit secundum Lucianum, ut cives robusti ac boni fierent. *μαλιστα δε και εξαπαντος τστο προνοεμεν, οπως οι πολιται αγαδοι μεν τας Φυχας, ισχυροι δε τα σωματα γινοντο.* Dies war das grundgesetz in ihren Gymnasien, ait Miller, in Grundsätze einer weisen und Christlichen ErziehungsKunst. Einleitung. §. 19. Atqui hæc omnia ad nostrum morem videntur levia & potius contemnenda, quamquam olim magnæ laudi fuerint.

rint. Sed quid plura? Sufficiat hoc unum ad-  
 junxisse, quod nemo iverit inficias, cum publicæ  
 rei, tum Scholasticæ magis proficuum fore, si ju-  
 venes eruditi ac robusti simul, quam si inter eru-  
 diendum infirmi reddantur.

§. III.

Sed ad ea, quæ ad emendationem intellectus ac vo-  
 luntatis conducunt, paullo accuratius consideranda,  
 pedem jam promoveamus. De hac vero emendatione  
 in omnibus fere Scholis nullus est præcipiendi finis  
 modusque. Novimus, teste ipsa experientia, facultates  
 mentis humanæ ita esse comparatas, ut suppetias sibi  
 invicem ferant, quin immo altera alteri prior sit  
 ordine. Sic voluntatem movet intellectus, intelle-  
 ctui opitulatur imaginatio & memoria. Egregie  
 hac de re differit Celebris olim Episcop. & Acad.  
 Carol. Pro Canc. Meritissimus *A. Rydelius*: För-  
 ståndet kan kallas en vågtsfande gåsfa, viljan den våg-  
 farande. Den vågfarande kommer icke utan hjärtet utan  
 förstånd och sannings-ljus, — — — Minnet, pergic,  
 är bägges Skattmästarinna — — vide Summi hujus  
 Viri Förnufts-Osvingar, Första quartalet §. 8. Qui-  
 bus nos quidem non refragamur, sed potius con-  
 tendimus, non minus facultatem cogitandi, quam  
 appetendi, quam primum fieri possit, excolendam  
 esse. De illa laudatus nuper Reverendissimus *Ry-  
 delius*: Minnet utan förstånd är så onyttigt, som et  
 protocoll utan Domare. De hac *Ramler* in seiner  
 Einleitung in die Schönen Wissenschaften nach dem Fran-  
 zösischen

jüdischen des Herrn Batteux 1 theil. 11. abschnitt Cap.  
 X. Der Mensch kan nicht anders glücklich seyn, als  
 in so fern sein geschmack allen follen seiner vernunft ge-  
 maß ist. Ein herz, das sich wider die Einsichten des  
 verstandes empört, ein verstand, der die bewegungen des  
 herzens verdammt, müßen nothwendig einen innerlichen  
 Krieg erregen, der alle augenblicke unseres lebens ver-  
 bittert. Soll eine beständige uebereinstimmung zwischen  
 diesen beiden theilen unserer seele erhalten werden; so  
 muß man auf die bildung des geschmackes eben so auf-  
 merkksam seyn, als man auf die bildung des verstan-  
 des ist.

Utcunq̄ue fuerit, ordo tamen naturalis in omni-  
 bus observandus. *In hoc sumus sapientes, quod  
 naturam optimam tamquam Deum sequimur.* Cato  
 M. de Senectute. Hoc quoque observant Const.  
 Reg. Schol. Det verk wid hwilket's anläggande en na-  
 turlig ordning ej iagttages kommer sent eller adrig  
 til sin fulkomlighet, som wara bdr. Cap. VI. §. 1.  
 Annos ætatis puerilis observantibus lucide apparet,  
 memoriam hac ætate vim in primis prodere suam,  
 tenacissimamque deprehendi. Ex quo facile conjici  
 potest, quam necesse sit, ut in pueris præcedat me-  
 moriæ cultura. Ingenii acumen & judicium pri-  
 ma ætate suo rite fungi nequeunt officio, ut tace-  
 am, quod sensatio & imaginatio vim attendendi &  
 judicandi impediunt, vel saltem minus efficacem red-  
 dant. In veritatibus enim dijudicandis progressus  
 puerorum minus prospere procedunt, priusquam  
 ipsarum rerum iuter quas instituenda est compara-  
 tio,

tio, historicam acquirere cognitionem. Cognitione autem qualicunque rerum singularium comparata, per illam temporis progressu, firmato iudicio, ad veritates universales ascendendo, de iis iudicium ferre discunt pueri.

#### §. IV.

Duplex datur via, per quam pervenimus ad rerum notitiam: *Intuitivam* videlicet ac *Symbolicam*. Accuratus perpendentes, quam hebes ac languida ingenioli nostri vis, quam exiguum vitæ nostræ curriculum ac breve, facile quoque concedimus, juvenes ad cognitionem rerum per viam ducendos esse compendiarium, assidua lectione optimorum librorum sternendam. Ex quibus omnibus haud difficulter colligitur, non minus Philologiam, quæ in notitia linguarum occupatur, quam Historiarum monumenta, quam fieri possit, diligentissime, pueris esse inculcanda. Linguarum notitia est instrumentum, quo rerum notitiam consequi licet, unde prono fluit alveo, illam ceteris exercitationibus Scholasticis esse præmittendam. Vid. Const. Reg. Schol. Cap. III. §. 7.

#### §. V.

Cum mentionem facimus linguarum, obviam sese ultro nobis offert variis doctorum iudiciis agitata haud parvi momenti quæstio: *Qua scilicet lingua ætas puerilis primum sit imbuenda? Inter linguas peregrinas eam addiscendam primum esse, quæ*

*quæ radices continet plurimas aliarum, vel ex qua hæ plurimas mutuatae sunt voces, monet Nobilissimus von Ihre Dissert. Acad. de ratione informandi juventutem.* Upsaliæ a. 1748 edita. Nec dubitandum est, quin Lingua Latina plures contineat voces, quæ, mutata solum terminatione, inveniantur in *Gallica, Italica &c.* Sed id mihi non sumo, ut sententiam hanc sub examen revocare ausim. Sufficiat ex instituti ratione admonuisse, in Const. Reg. Schol. Linguas Latine ac Græcæ præscribi Præceptoribus Publicis, discipulis Scholas publicas frequentantibus inculcandas. Qui aliorum de hac questione opiniones noscere cupiunt virorum, attente perlegere oportet, *En l'ard Mans bres til en l'ard, vdrande de Publiques Informations-werken i Ditet.* Holmiæ a. 1772 typis evulgatas; itemque *En l'attad och förbättrad lårdoms våg,* ibidem a. 1759.

De Lingua hac Eruditorum cogitantibus nobis in mentem venit, quod in omnium fere ore versatur, nullos tardiores quam in hoc studio animadverti progressus. Ex quo factum est, ut permulti nimis difficultatis opinione ducti, Linguam innocuam plane abhorreant, & ut de Getis refert Ovid. *Trist. V. Eleg. 10,* sic rideant adhuc hodie haud pauci nostrorum temporum homines. Causam vero risus hujus paullo immoderatiore qui scire avert, hoc nobiscum, quæsumus, probe teneant ac perpendant: si quid in hujus Linguae studio & cultura ridiculi inesse concederemus, id non ipsi Linguae, sed methodo præposteræ, nimisæque & inutili prorsus



prorsus plurimum Litteratorum sedulitati adscribendum esse contendimus. Ubi enim instrumentum, quod Linguae cuidam tradendae discendaeque adhibetur, multo ipsa, quae tradenda discendaque est, lingua difficilius inextricabiliusque deprehenditur: & tarde discunt discipuli, & infructuosa omnino opera docent praecipuos. Multum sane interest peregrinantis, qua via inceserit, utrum recta sit an devia, ut metam contingat optatam. Vide *Friedrici Hoffmanni* Epigrammata, Ludumque Litterarium Reverendiss. *Svedbergii* passim. Et in hunc quidem sensum non injusta est, quae in scripto quodam, cui titulus: Politisk anmärkn om den ägta och råga Statskonsten. T. B. Lib. IV. 8. sequentem in modum habetur jactaturque querimonia: Jag har ofta beklagat de stackars gofvar, som jag sedt i 5 til 6 års tid smettas för Grammatican, på det de måtte som pappegöjor läsa utantill alla regler, hvarvid de icke haft det ringaste begrep. Neque sic quidem mirandum, si pueris haud raro contigerit, ut prius, ad grandiore aetate, quam pervenerint, cum *Aenea* apud *Virgilium*. *Aeneid*. Lib. I. v. 208, 209 de superatis scilicet itineris Scholastici molestiis, triumphum his verbis agere non possint:

*Per varios casus, per tot discrimina rerum  
Tendimus in Latium.*

Immo prodigio potius simile felicissimique signum est ingenii, si quem interdum progressum in L. L. studio tenera aetas facere possit. Hæc man, dicente admodum Reverendo D. no. Praeposito  
Berg-



*Bergklint* in *Mindre Sammandraget af alle Wetenskaber* 1 Del. Cap. 6. pag. 162, i stället för at tala för Barnet om finliga ting, som det kan taga på, börjat med at tala om Nomen, pronomen &c. så hade ock säkert det barnet än wid 15 år ej förstått huru det skulle begära bröd.

Ordo naturalis, cujus observantia optime proficitur, requirit, ut grammaticam potius ex Lectione optimorum in quacunque Lingua, præsertim mortua, prout est L. L., Scriptorum, quam Linguam ex regulis antea stabilitis addiscamus. Auctoritati Scriptorum optimæ notæ innititur Grammatica, eorumque ad ductum est formata: *Dulcius autem ex ipso fonte bibuntur aquæ.* Pusiones in Latium tendentes, immensaque regularum, terminorum technicorum & exceptionum farragine onusti, neglecta Scriptorum Classicorum lectione, numquam voti compotes fient. Gravior enim est, quæ humeros illorum premit, sarcina, quam ut cursum commode ac feliciter conficere possint. Interim R. C. Schol. parendum nobis est, usque dum aptiora aliquando præscripserit verenda Superiorum auctoritas. Quis, quæso, tirunculis succenseat, si in ipso Musarum limine, vix degustatis Litterarum elementis, animum despondeant, nec nisi timide ipsa intrent disciplinæ Scholasticæ penetralia. Medium tenuisse, ut in omnibus rebus optimum, ita hic apprime utile ac necessarium arbitramur. Quæ nimia laborant difficultate, captivique puerili minus sunt accommodata, in aliud




opportuniusque tempus, maturiores nempe annos, differantur. Etenim suo quæque tempore, cum faciliora, tum quæ difficiliora sunt, ita inculcentur, ut illa primum, hæc deinceps tradantur. Sic *Quint. Lib. 1. Cap. 3. Magistri hoc opus est, cum adhuc rudia tractabit ingenia, non statim onerare infirmitatem discipulorum, sed temperare vires suas, & ad intellectum audientis descendere.*

Verum enim vero hac in materia, quam breviter & perfunctorie tantum tractavi hactenus, otium mihi faciunt innumera Virorum Eruditissimorum scripta, quibus Methodum tradendi L. L. ;fufius accuratiusque persecuti sunt. Dictis igitur colophonem addam verbis *Ramleri* a Libro citato, Vol. 1. sect. 11. mutuatis: *Warum giebt man ihnen (die Kinder) gleich anfangs denjenigen, der an meisten für ihre faßungskraft ist, der ihrem alter und ihrer neigung am gemähesten ist; denjenigen, der die meisten sinnlichen gegenstände in sich faßt, der dem geiste mehr zeitvertreib, mehr bewegung verschafft: mit einem worte, denjenigen, der wenigste mühe macht, und den meisten erfolg verspricht.*

## §. VI.

Historia, quæ studiis etiam humanitatis, & suo quidem jure, annumerari solet, facta sive res singulares enarrat, & pro diversitate rerum, de quibus agit, in varias species distribuitur. Si naturam humanam consulimus, eique obsecundare volumus, Historia, ut disciplina memoriae juventuti est instil-  
landa

landa una cum iis disciplinis, quæ illam illustrant: ut *Geographia*, *Chronologia*, *Heraldica*, *Numismatica*, *Matheſi*. Singularum Historiæ specierum indolem percurrere, quæque harum ceteris ſint præmittendæ, explicare, arctiores Diſſertationis Academicæ limites prohibent. Pauca tantum de Hiſtoria Naturali e Scholis noſtris excluſa differere lubet, cujus tamen lectione nihil eſſe poteſt dulcius ea præcipue cognoscere cupientibus, quæ ſenſus externos quodammodo afficiunt. Hoc vero commodi præ ceteris habet Hiſtoria Naturalis, ut & auribus & naribus & oculis voluptatem excitet, quare & facile memoriæ inſigi poteſt. Quid! quod ad Sanitatem corporis vel conſervandam vel corroborandam vel reparandam conducit nobisque ſiſtit res, quæ majestatem Dei celebrant. Hanc ob cauſſam in quibusdam Scholis Theologiam Naturalem per Hiſtoriam naturæ pueris familiarem reddere captum eſt, idque non ſine maximo illorum emolumento. Audiamus quæ hanc in rem affert Auctor ſcripti a me ſuperius pag. 7. citati: Verſuch von der Erziehung und unterweiſung der Kinder: Cap. 1. p. 19. Weil die blumen ohnedem ſachen ſind, womit die Kinder gerne pflegen umzugehen, ſo wurde ich, wenn mir die Einrichtung einer öffentlichen Schule aufgetragen wäre, alle tage eine ſtunde für die Botanik verordnen. Dieſe uebungen beſchreibungen zu machen kan von ſer leichten auf ſehr ſchwere ſachen getrieben, und alſo mit denn kindren ſo lange fortgeſeh werden, als ſie in der unterweiſung ſtehen. Addam etiam quæ  
expe-



experientia satis superque confirmantur, verba *Ram-  
 leri*: So bald ein kind die augen des verstandes erdff-  
 net, und das weltgebände erblickt, so wird es von allen  
 dingen gerührt, die es um sich sieht, vom himmel, von  
 den gestirnen, den pflanzen, den thieren. Es thut tau-  
 send fragen, es wil alles wißen, die natur treibt es, die  
 natur fuhrt es, und sie fuhrt es recht. Es ist billig  
 das der neue Bürger, der is in der welt anlangt, zu  
 erst seine wohnung kennen lerne, und wiße was man  
 für ihn zubereitet hat. Diesem lichte solte man nachge-  
 hen, diese neugierde solte man befriedigen, solte man  
 durch den guten erfolg aufmuntern. pag. 119 120.  
 1. Band. Equidem aut valde fallor, aut aptam sa-  
 tis & puerili ætati accommodatissimam Hist. Na-  
 turalis præbebit corporis exercitationem.

## VII.

Alia præterea sunt disciplinæ, quibus ætas pu-  
 erilis informari solet, quasque Const. Reg. Schol.  
 præcipiunt discendas, ex. gr. Theologia. De eo  
 inter omnes, qui rem tractant Scholasticam, maxi-  
 me convenit, Theologiam animis inculcandam esse  
 tenellis. *Bonus vir sine Deo nemo est.* Senec. Epist.  
 41. De tempore autem & methodo ejus traden-  
 dæ, animi in contrarias tere distrahuntur senten-  
 tias. Neque ego hac in re dicam, quod sentio,  
 ne aut cui non ex meo quodquam sensu depromere  
 videar, aut non ita dicere, ut res tanta dici possit.  
 Hoc igitur tantum monebo. dandam esse operam  
 Præceptoribus, ut pueri ejusmodi rebus Divinis  
 debita

debita attentione tractandis adsuefiant, quæ captui eorum sint accommodatissimæ, nec committendum esse, ut memoria illorum nudis tantum pascatur idearum simulacris. Qui aliorum opiniones noscere cupit, legat Dominum *Rollin* de la maniere d'enseigner & d'étudier les belles Lettres: *Millers* grundgesetze einer weisen und Christlichen Erziehungs-kunst: *Sulzerum*, & Acta Instituti *Philantropii Dessaviensis*.

### §. VIII.

Hicce sic disputatis, nemo non videt, in quibus Litterarum studiis atque disciplinis B. P. P. versatum esse cupimus. Finis vero culturæ Litterarum duplex esse potest. Etenim aut Litteras ideo colis humaniores, ut tibi subsidio solummodo sint in aliis disciplinis specialibus, aut eam ob causam, ut illas profitearis, aliosque doceas. Non diffitemur quidem, ab illis Litteras humaniores mediocri coli posse studio: ab his vero singulari utique studio sunt tractandæ. Quamquam enim neminem, qui aliquando in numero Eruditorum haberi cupit, humanitatis studia negligere decet, illos tamen in primis nulli operæ aut labori ad eadem excolenda parcere oportet, qui alios istis aliquando instituere animo meditantur. Quo enim quisque magis præ ceteris aliqua in re vult excellere, eo se magis in ea exerceat, necesse est. Magno igitur doctrinæ apparatu instructus, in scenam prodibit, qui personam aliquando probi Ducis in ju-

ventute informanda tuebitur, id quod neminem fugere arbitramur, nisi qui a limine tantum Bonarum Litterarum atria salutaverit.

§. IX.

Ad Philologiam quod attinet, evidens utique est, tradi illam accuratius non posse a Præceptore Publico Logices notitia destituto. Meditationes Syntacticæ acce exposcunt ingenium & multiplici doctrina subactum iudicium Philosophicum. Libri non eam ob causam leguntur, ut vocabula & phrasæ excerpenti occasio nobis subministretur. Cui bono verba sine rebus? Hæc solum agens, actum se egisse, aliquando experietur. Nihil suum erit, præter molestum tædiique plenum laborem Recte igitur Vir Clarissimus & de Philologiæ studio optime meritus *Job. Frider. Gronovius* in Præfat. ad Observ. in Scriptor. Eccles. monuit: *Modo ne verba sejungant a rebus — — — sibi res & nescio quæ alta & sublimia, nobis nuda vocabula & quiquilias tribuant. Qui error minuendus est. Neque enim verborum intelligentiam, nisi rerum percipiendarum & explicandarum gratia peti, rerum autem scientiam sine verbis aut nullam atque imaginariam aut mutam & mutorum esse judicamus.* Verba per se nullam pariunt scientiam. In eo igitur laborandum est iis, qui juventuti ad humanitatem instituendæ præficiuntur, ut rerum cognitionem per cultum sermonis juvenibus instillent. Sed quo-

quomodo hoc fieri poterit absque clara explicatio-  
 ne vocabulorum, constructionum ac contextus?  
 Neceffe igitur est B. P. P. ut eundem, quem  
 Auctor libri cujusdam cum verbis conjunxe-  
 rit, sensum iisdem quoque cogitando compre-  
 dat atque complectatur. Et quis ignorat, quan-  
 tum in hoc efficiendo emolumenti adferat Notitia  
 Etymologiæ, usus loquendi, Mythologiæ, instituto-  
 rum veterum eorumque opinionum, Chronologiæ  
 ac Geographiæ. Verbo: B. P. P. non tantum bo-  
 nus Philologus, verum etiam Criticus esse de-  
 bet. Sed brevitati litaturi modum servandum esse  
 ducimus, cum omnia de omnibus enucleate per-  
 sequi non licuerit. Qui sufficientem pleniorumque  
 notitiam hujus rei desiderat, eum ad *Schellerum*  
 ablegatum cupimus, a quo hanc materiam ex pro-  
 fesso tractatam inveniet in *Seiner Anleitung die La-  
 teinischen Schriftsteller philologisch und Critisch zu  
 erklären.*

### §. X.

Sed restat adhuc, ut de altero, & quidem haud  
 minimi momenti sine, ad quem in puerili ætate in-  
 formanda acriter animum intendere debet B. P. P.  
 pauca differamus. Non enim suo rite functum  
 officio arbitramur Præceptorem Publicum, si in ex-  
 colenda tantum puerorum cogitandi facultate ope-  
 ram omnem collocet, de voluntatis emendatione  
 parum vel nihil sollicitus. In hoc nempe cardo

institutionis præcipue vertitur; & huc etiam tendit notissimum illud Sapientiæ antiquioris præceptum: *Qui proficit in Litteris & deficit in moribus, plus deficit quam proficit.* Huic quoque Sententiæ adstipulantur Reg. Const. Schol. Cap. III. §. 3. jubendo: at de skola för all ting vara sorgfällige — — — så at icke allenast deras förstånd tilltager genom Studier och bokliga konster, utan ock deras sinnen i rättan tid böjas til et Christeligt Dygde-lesverne.

Itaque, nisi tempus pretiosissimum vana & inutiles opera perdere velimus, primo quidem pueros cognitione ejusmodi veritatum impertiri convenit, quæ ad usum vitæ cum spe fructus certioris applicari possint: Linguam enim & cogitandi facultatem fingendo, fingunt se ipsos, cumque lingua, si recte & ordine addiscatur, rerum simul utilium notitiam imbibunt. Experientia certe edocti novimus, nos felici cum successu ea mandare memoriæ, quorum rationem & indolem perspicimus, ipsaque etiam vocabula cujuscunque demum linguæ, quam vel didicimus, vel in qua discenda adhuc occupamur, memoriæ facilius recurrunt, & quasi oculis visa animo obversantur, si res nobis sistant auditu jucundas & utiles, perceptuque faciles, quæque ideo, statim ac nobis proponuntur, attentionem excitant. E contrario autem legere & non intelligere, parum adfert voluptatis, nihil utilitatis. Et quis sane miretur, si pueri verborum steriliū & inanis sonus farragine ad tædium onusti

sti & offarcinati, postquam e Scholis, quasi ex ergastulo quodam liberati, aliquando evaserint, proVectiore ætate, temporis jacturam deplorantes, misere ingemiscant :

*O! mihi præteritos referat Deus arbiter annos.*

Deinde, cum bonum quidem sit legere, optimum autem bene legere; & tum sane bene legisse existimemur, ubi non ad ostentationem, aut certe futuram oblivionem, innumera librorum volumina oculis manibusque pertentaverimus; sed ex paucioribus, iisque optimis atque selectissimis bene vivendi præcepta hauserimus, collectaque in succum & sanguinem vertere omni studio annisi fuerimus.

Non igitur ad verum modo intelligendum percipiendumque, sed & ad bene faciendum simul & semel excitentur discipulorum animi. Sic, dum in cultu sermonis & intelligentiæ, ratio simul habetur culturæ animi, vitæque & morum emendationis: bene se habet institutio juniorum, quippe cum animus puerilis mollis est, ad quasvis formas recipiendas instar ceræ accommodatus & tractabilis. Sed de hac re uberius & pro more suo elegantissime differentem celebris memoriæ Doctorem D: num *Gellert*, Lectores moneo ut avidè consulant, in seiner *Utrittsrede* von dem einfluß der Schönen Wissenschaften auf das herz und die Sitten, ubi desideriiis eorum abunde satisfaciet.

## §. XI.

Sed colophonem opellæ tumultuariæ impo-  
nat Consilium Clarissimi Experientissimique Præ-  
ceptoris Publici Dni *Imman. Joh. Gerhardi Schel-  
leri* Libro superius citato 11. abchnitt. Ita autem  
ille: Die Scribenten müssen so tractirt werden, daß  
die zuhörer sie erstlich recht verstehen, zweitens recht be-  
nutzen d. i. viel kentiße z. e. der bereidsamkeit, der ed-  
len denckungs art, der geschichte, ehemaliger gebrauchte  
&c. daraus schöpfen, und besonders durch untersuchung  
jedes wichtigen gedankens, urtheils und schlusses, durch  
häufige vergleichungen mit andern, durch applicatio-  
nen allgemeiner grundsätze auf einzelne fälle &c. ihren  
verstand schärfen; drittens sie, den gedanken und wör-  
tern nach, recht nachahmen lernen.

Plura quidem multoque graviora scribi ad-  
huc possent de nobili & ardua materia, quæ in-  
doctorum juxta & doctorum toties calamos fati-  
gavit: at enim vero, cum L. B. patientiam per-  
plexis macilentisque meditationibus meis exercere  
amplius non ausim: suffecerit forte pauca peritio-  
rum attentione non prorsus indigna monuisse rudi  
& umbratico Disputatori satis habituro, si de se  
prædicari audierit, quæ vetus illud habet prover-  
bium, quod ex *Gellio* Latine sic vertit *Erasm. Ro-  
terdamus*:

*Sæpe etiam est olitor, valde opportuna locutus.*

De cetero ex animo opto, ut in Patriæ Scho-  
lis per vigilem Superiorum curam, numquam de-  
fint

sint Boni Præceptores Publici, quibus præeuntibus, non minus in bonis moribus, quam Bonis Litteris feliciter proficiant discipuli publici; utque in nobis demortuis, nec Scholarchis nec discipulis idem sit conquerendi locus, qui olim, Historia teste, fuerit Imperatori Rom. Germanico *Maximiliano* I. quem Romanorum Regem factum, Præceptori suo *Petro Engelberto*, a quo in pueritia sophismatibus & verberibus quotidie fuerat vexatus, his fere verbis summæ indignationis indicibus, male administrati muneris pœnam minatum esse ferunt. *Si hodie præceptor meus Petrus viveret, quamquam multa præceptoribus debeamus, efficerem, ut imperitiæ institutionis illum pœniteret.*

SOLI DEO GLORIA.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

2011 D.O. GILBERT

[www.books2ebooks.eu](http://www.books2ebooks.eu)